DE VOCABULIS

QUÆ

IN DUODECIMO SECULO ET IN TERTII DECIMI PRINCIPIO

A GALLIS GERMANI ASSUMPSERINT

THESIM

Facultati litterarum Universitatis Parisiensis

PROPONEBAT

F. PIQUET

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA BONAPARTE, 28

—

1898

DE VOCABULIS

QUÆ

IN DUODECIMO SECULO ET IN TERTII DECIMI PRINCIPIO

A GALLIS GERMANI ASSUMPSERINT

DE VOCABULIS

QUÆ

IN DUODECIMO SECULO ET IN TERTII DECIMI PRINCIPIO

A GALLIS GERMANI ASSUMPSERINT

THESIM

Facultati litterarum Universitatis Parisiensis

PROPONEBAT

F. PIQUET

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA BONAPARTE, 28

1898

VIRO DILECTISSIMO

H. LICHTENBERGER

GRATI DEVOTIQUE ANIMI PIGNUS

INDEX OPERUM

QUÆ MIHI SCRIBENTI PLURIMUM PROFUERUNT

Alex. : Lamprechts Alexander. Kinzel, 1885.

Athis u. Pr. : Athis und Prophilias. W. Grimm, 1846.

Bartsch : altfr. R. u. P. : Bartsch : altfranzösische Romanzen und Pastourellen, 1870.

Benecke W. : Benecke-Müller-Zarncke : Mittelhochdeutsches Wörterbuch, 1854.

Cang. : Du Cange : Glossarium mediae et infimae latinitatis, 1845.

Chr. Er. : Erec und Enide von Christian von Troyes. Foerster, 1890.

Ch. de R. : Chanson de Roland. Gauthier, 1872.

Diez Gr. : Grammaire des langues romanes, trad. A. Brachet et G. Paris, 1874.

Diez W. : Diez : Etymologisches Wörterbuch der romanischen Sprachen, 1887.

Eilh. : Eilhart von Oberge. Lichtenstein, 1878.

Eracl. : Eraclius. Graef, 1883.

Floyris : Floyris und Blancheflûr. Zeitsch. für d. Alt. 21, 320 sqq.

God. : Gottfried's von Strasburg Tristan. Bechstein, 1873.

Godefroy : Godefroy : Dictionnaire de l'ancienne langue française, 1881.

Graf Rud. : Graf Rudolph. W. Grimm, 1844.

Gudr. : Gudrun. Volmoller, 1845.

H. E. : Hartmann von Aue : Erec der wunderaere. Bech, 1867.

H. Gr. : Hartmann von Aue : Gregorius. Paul, 1882.

H. I. : Hartmann von Aue : Iwein. Bech, 1869.

Heinrich d. Glich. : Reinhart Fuchs. Reissenberger, 1886.

Herz. E. : Herzog Ernst. Bartsch, 1869.

Horning : ostfr. Dial. : Horning : Die ostfranzösischen Grenzdialecte.... 1887.

Kaindl : Zeitschrift für rom. Phil. 17, 355 sqq.

Kaiserchr. : Die Kaiserchronik. Diemer, 1849.
Kassewitz : Die Französischen Wörter im Mittelhochdeutschen, 1890.
Kauffmann : Geschichte der schwäbischen Mundart, 1890.
Lanz. : Lanzelet. Hahn, 1845.
Lexer W. : Lexer : Mittehochdeutsches Wörterbuch, 1872.
Maxeiner : Beiträge zur Geschichte der franz. Wörter im Mittehochdeutschen, 1897.
Marb. : Marbodus (v. infra Pannier).
Meyer-Lübke : Grammaire des langues romanes, trad. par E. Rabiet, 1889.
Nibl. : Das Nibelungenlied. Bartsch, 1866.
Pannier : Les lapidaires français du m. a., 1882.
P. : Parzival, Lachmann [3], 1872.
S. P. : Dictionnaire historique de l'ancien langage français, par Lacurne de Sainte-Palaye.
Roll. : Das Rolandslied. Bartsch, 1874.
T. : Titurel : Lachmann [3], 1872.
Wace Br. : Le roman de Brut par Wace. Le Roux de Lincy, 1838.
Wackern. altfr. L. u. L. : Wackernagel : Altfranzösische Lieder und Leiche, 1846.
Wackern. Umd. : Wackernagel : Die Umdeutschung fremder Wörter. Kleinere Schriften, III.
Weinh. : al. Gr. : Weinhold : Alemannische Grammatik, 1863.
Weinh. : b. Gr. : Weinhold : Bairisch Grammatik, 1867.
Weinh. : mhd. Gr. : Weinhold : Mittelhochdeutsche Grammatik, 1883.
Wiener : Wiener : French Words in Wolfram von Eschenbach. American Journal of Philology, XVI, 3.
Wig. : Wigalois. Pfeiffer, 1847.
W. : Willehalm. Lachmann [3], 1872.
Wilm. d. Gram. : W. Wilmanns deutsche Grammatik, 1897.

DE VOCABULIS

QUÆ

IN DUODECIMO SECULO ET IN TERTII DECIMI PRINCIPIO

A GALLIS GERMANI ASSUMPSERINT

CAPUT I

Quibus rerum seu publicarum seu privatarum consuetudinibus Galli Germanique inter se conjuncti sint et quatenus Gallorum mores litterasque Germani imitati sint.

A medii ævi principio litteras germanicas manifesto apparet multa e Gallorum seu poematibus seu artibus seu moribus mutuatas esse. Cur autem res ita sese habeat facile intelligitur. Gallia enim, cum omni humanitatis cultu, a Romanis tradito, expolita esset, et res ita secundas gessisset ut apud omnes populos magna auctoritate floreret, Germaniam multum laude et dignitate antecellebat[1]. Germani autem, quod ingenio tardiores erant, finitimæ gentis opera imitanda sibi proposuerunt. Quin etiam quarumdam rerum seu privatarum seu publicarum consuetudines Germanos et Gallos ita conjunxerunt, ut ex illis ambobus populis rudior totus ad politioris imitationem lege necessaria nixus sit.

Sic anno 1033 Conradus II imperator suæ potestati Burgundiam subjecit, cujus incolæ plerique gallici generis erant; inter eos autem, duodecimo seculo ineunte, *Albericus* floruit qui de Alexandro Magno poema scripsit.

Iisdem fere temporibus, Germanorum principes quidam galli-

1. Car en anciens escris — Trueve on que tousjours a esté — France la flours et la purté — D'armes, d'onnour, de gentillece, — De courtoisie et de largece; — Ce est la touche et l'essemplaire. — De ce qu'on doit laissier et faire (*Cleomadès*, 255).

cas uxores ducebant, quæ quidem in Germaniam suos mores, suaque studia intulerunt. Sic anno 1043 Agnetem de Pictavis uxorem Henricus III imperator ducebat. Sic etiam insequente seculo Henricus, Britannorum rex, qui multum gallicarum litterarum studiosus erat, Mathildam, suam filiam, Henrico V in matrimonium collocavit. Quin etiam paulo post Frederico II Beatrix, Reginaldi filia, nubebat. Adde quod Otto I atque Otto II, Meraniæ principes, uxores gallicas duxerunt.

Sed cum uxores illæ omni humanitate doctrinaque politæ, litterarum studium longe lateque per Germaniam propagaverunt, tum gallicorum poetarum ipsorum Germaniam iisdem temporibus peragrantium poemata nota esse cœperunt. Nemini vero veniat in mentem illos, e patria eo consilio profectos esse, ut humanitatem disciplinamque e germanicis fontibus haurirent. Nam constat quantuli Galli tunc Germanos facerent, quippe quos reprehenderent quod barbari essent atque, dum loquerentur, canes latrantes imitarentur [1]. Quid plura? Nomen ipsum Germanorum pro opprobrio ducebant [2]. Illos autem inter poetas qui Germaniam viserunt Guyot de Provino qui Moguntiæ aderat per illos festos dies cum « anno 1184 imperator Fredericus in Pentecoste cum Beatrice regina et cum omnibus regni Principibus Moguntiæ curiam gloriosissime celebrans duos filios suos gladio accinxit [3] » et Peire Vidal [4] qui Germanorum imperatoris, scilicet Henrici VI, familiaritate utebatur, in primis referri debent.

Quemadmodum nonnulli inter Gallos Germaniam, ita inter Germanos multi Galliam adierunt. Sic Fredericus de Hausen Fredericum qui « Barberousse » dicitur per Galliam anno 1178 iter facientem comitatus est [5]. Sic etiam Hartmannum de Aue licet nobis existimare in illa Galliæ parte quæ in Septentriones spectat aliquantisper commoratum esse. Sic Waltherius de Vogelweide se « a Sequana usque ad Murram [6] » iter fecisse profi-

1. V. Peire Vidal : *Bon' aventura.* — 2. « Li messagiers ne samble pas Tiois » (*R. de Cambr.*, 2146); « Et si ostage Yolant.... — Elle n'est pas d'Alemaigne » (*Li tornois des dames*); « Parmi le cors ot XV. plaies grans; — De la menor morust uns Alemans » (*Alisc.*, p 23). Cf. quoque J. Grimm, *Reinh.*, LXXIX. — 3. *Ann. Bosov.* V. Schultz, I, 182. — 4. V. Bartsch : *Peire Vidal's Lieder*, Einleit., 54. — 5. Lehfeld, *P. B. B.*, 2, p. 348. — 6. « Ich hân gemerket von der Seine unz an die Muore. » (Pfeiffer, 118, 1.)

tetur. Alii etiam ita poemata gallica adamare cœperunt ut, quo majorem eorum scientiam haberent, in Galliam proficiscerentur.

His adde quod ab undecimi seculi principio non defuerunt clerici germanici generis qui Lanfranci aut Anselmæ de Angusta Pretoria aut Abelardi aut Guilhelmi de Conchis scholis interfuerint. Inter enim illorum auditores Germanos permultos fuisse Williramus auctor est, qui talia de Lanfranco dicit : « Ad quem audiendum cum multi nostratum confluant, spero quod ejus exemplo etiam in nobis provinciis ad multorum utilitatem industriæ suæ fructum producant [1]. » In Parisiorum autem scholis clerici cum rerum theologicarum scientiam consecuti sunt [2], tum in patrium sermonem multa opera quæ ad religionem pertinebant aut poemata in quibus de vita sanctorum agebatur transtulerunt [3]; quin architectonicæ rationis cognitione imbuti atque in profanarum litterarum studio versati erant, quæ apud gallicos clericos in aliquo honore tunc erant [4]. Sic poematis illius quod *Anegenge* inscribitur scriptorem Bernardi de Claravalle disciplina usum esse manifesto apparet [5].

Denique Germani principes et imperatores per Galliam sæpe iter fecerunt, quod quidem non parvi momenti ad id fuit, ut Germani nostros mores imitarentur nostrisque litteris studerent. Sic Henricus Superbus, cum Galliam anno 1131 adiisset, ubi poema illud quod *Chanson de Roland* inscribitur novit, primo in latinam, deinde in germanicam linguam Conrado vertendum dedit. Sic etiam Fredericus qui « Barberousse » dicitur tribus mensibus anni 1178 in Gallia commoratus est, acceptaque Arelate imperatoria corona, in multis Burgundiæ civitatibus aliquantisper sedem habuit [6].

Verumenimvero bella Sancti Sepulchri liberandi causa suscepta præsertim quibusdam consuetudinibus Galliam Germaniamque inter se sociaverunt; ex quibus bellum secundum in primis, per quod Ludovicus VII Gallorum rex et Conradus III Germanorum imperator copias suas junxerunt, causa fuit cur

1. Wackern. : *Altd. Pred.*, p. 322. — 2. *Zeitschr. f. d. A.*, 4, 496. — 3. Scherer und Müllenhof : *Denkmäler d. P. u. P.*[2], p. 7. — 4. G. Paris : *La litt. fr. au m. â.* : p. 17 sq. — 5. Golther : *Litt.gesch.*, p. 88. — 6. Lehfeld, *P. B. B.*, 2, p. 367 sq.

utriusque populi principes aliquid rationis inter se habuerint. Tunc Germani jam optimarum artium et litterarum studio ita trahebantur, ut ab illo Gallorum humano cultu non omnino abhorrerent. Torneamenta enim tunc apud Germanos in consuetudinem venire cœperant [1]. Quin etiam dum mores elegantiores fiebant, animi, concepta singulari quadam imagine perfecti, ad militum (*chevaliers*) virtutes magis magisque spectabant. Poema enim illud quod *Kaiserchronik* inscribitur, iisdem fere temporibus scriptum, indicio est animos ad morum comitatem cogitationumque dignitatem jam converti, atque homines, relicta antiqua ferocitate, modestiæ studiosos, mulierum conversatione et societate oblectari, quod idem confirmant illa carmina leporis plena quibus Germani nomen *Minnesang* dederunt. Inter omnes autem qui bello illi quod secundum religionis causa susceptum est adfuerunt, Alienor de Pictavis id maxime consecuta est ut poematum gallicorum studium ultra Galliæ fines longe lateque flueret; illa enim, cum magna urbanitate et insigni lepore esset, summam auctoritatem sibi conciliaverat, quod quidem in germanicis poematibus postea scriptis apparet [2]. Id autem pro certo affirmare licet, ab illa ætate Germanos Gallorum consuetudines imitatos esse et Gallica vocabula in sua poemata induxisse [3].

Non autem omnes Galliæ provinciæ eo cultu expolitæ erant ut Germani eumdem fructum inde perciperent. Sed in Campania præsertim, exeunte duodecimo seculo, litteræ in magno honore fuerunt; e qua, præter eos qui *ribaldi* dicuntur et magnam famam tunc consecuti sunt, oriundus erat et Christianus ille de Trecis, cujus pleraque poemata in germanicam linguam versa sunt. Cultus autem et humanitatis ne Flandria quidem expers erat; quæ quidem, Germaniæ finitima, et opibus opulenta et multis nobilibus divitibusque civibus frequentissima erat qui litterarum studiosissimi erant : itaque in ea provincia primum torneamenta fieri cœperunt, militesque insignissimis omnium virtutibus floruerunt, ejusque principes ipsi auctoritate pecu-

1. Lothario saxonico regnante (1125-1137). — 2. Scherer : *Gesch. d. d. Dicht. im 12. u. 13. Jht.*, p. 87 sq. — 3. Eilhart von Oberge : *Tristan* (Lichtenstein), CLXII sq.

niaque sua poetis maxime faverunt; unde facile intelligitur cur a lingua quæ *niederländisch* dicatur, quam incolarum plerique usurpabant, germanici poetæ seu materiam quorumdam poematum seu nonnulla vocabula mutuati sint [1]. Quin inter omnes urbanos poetas primus fuit Henricus de Veldeke qui circa Trajectum-ad-Mosam natus est; sic Conradus et Lamprechtus ab regione Rheno adjacenti oriundi sunt; adde quod in inferioris Rheni regionibus (*Niederrhein*) poema illud quod *Floyris* inscribitur compositum existimare licet [2]. Quin etiam antiquissima ex Germanorum epicis carminibus lingua eadem scripta sunt [3].

Non quidem sine causa nonnulli scriptores existimaverunt Galliam, quod militibus *(chevaliers)* floruerit, idcirco apud Germanos multum auctoritate valuisse [4]. Milites enim, omni vita atque cultu expoliti, morum comitate virtutumque excellentia ceteris hominibus qui tunc vivebant longe præstabant. Itaque eorum mox magna admiratio et imitatio facta est. Sic a Gallis Germani omnia quæ ad militum vivendi genus pertinebant, seu cultum ipsum, seu adoptionis solemnia, seu pugnandi rationem mutuati sunt. Nam multi auctores sunt gallicos milites apud Germanos multum auctoritate tunc potuisse. In poemate enim quod *Moritz von Crâûn* inscribitur hoc scriptum est, Galliam omnibus regnis præstare atque egregiis militum virtutibus maxime florere.

Cum autem in tali honore apud Germanos Gallorum usus atque litteræ essent, facile intelligitur Germanos magnopere nisos esse ut gallice scirent. Itaque magistros arcessebant a quibus gallicam linguam docerentur [5]. Ipsi vero adolescentes e Germania in Galliam mittebantur, in magistrorum gallicorum disciplinam tradendi, ut ex Henrici, qui « Leo » dicitur et Bajuvariæ præerat, epistola intelligi potest, Ludovico, Gallorum regi,

1. *Hübsch*, *törper*, *ors*, *wapen*, *muoten* (V. Lachm. *Zu Iw.* 5331). — 2. V. *Zeitschr. f. d. A*, 21, p. 311. — 3. Wackern. : *Altfr. L. u. L*, p. 199. — 4. Golther : *Litt.gesch.*, p. 185 sqq. — 5. *Tout droit a celui temps que je ci vous devis — Avoit une coutume ens el tyois païs, — Que tout li grant seignor, li comte et li marchis. — Avoient, entour aus, gent françoise tous dis — Pour aprendre françois leur filles et lor fils* » (*Li romans de Berte aus grans piés*, p. 10 (Paulin Paris, Paris, 1832).

gratias agentis, quod Germanos adolescentes benigno hospitio in Gallia excepisset [1], atque etiam ex alia illa epistola Thuringorum comitis, Ludovico duos ex filiis suis commendantis, quos in Galliam missurus esset [2]. Quin poetæ inter artes, quibus eorum poematum personæ ad humanitatem instituebantur, plerumque linguæ gallicæ studium collocaverunt [3]. Denique nonnullos Germanos gallice scivisse ex eo apparet, quod multi poetæ opera gallica germanice verterunt, quod non fecissent nisi linguam gallicam cognitam habuissent. Adde quod illorum poemata vocabulis abundant atque etiam versibus a gallica lingua sumptis, quorum significationem legentibus apertam fuisse verisimile est. Poetæ autem ipsi profitentur gallicis operibus lectis Germanos oblectari [4]. Cum autem omnes gallicam linguam intelligere non possent, in linguam germanicam multa gallica opera vertere opus fuit. Unde factum est ut omnia fere poetica genera nostra in Germaniam transferrentur. Sed cum nihil longius sit quam opera omnia a Gallis ascita persequi, inter ea dignissima quæ notentur referemus.

Primo enim quod ad epicum genus pertinet, gallicorum poematum, quæ *chansons de geste* dicuntur, multa in suam linguam Germani verterunt; sic etiam illa poemata, in quibus materiam seu latinam seu græcam scriptores tractaverant, mox translata, Germanis nota sunt. Poemata autem de Arthuro, cum magnam gloriam Christiano de Trecis atque aliis gallicis scriptoribus paraverunt, tum postea materiam maximis Germanorum poetis suppeditaverunt. Ita fit ut Hartmannus de Aue, Wolframus de Eschenbach et Godfridus de Argentorato poematum suorum materiam fere omnem a poematibus de Arthuro scriptis mutuati sint, quos magistros multi discipuli secuti sunt.

Jam vero poematum genus in quibus de sanctorum vita agitur, cum a principio in Gallia viguit, tum apud Germanos in magno

1. Prutz : *Friedr. I*, 3, 388. — 2. Wackern. : *Litt.gesch.* [2], p. 127. — 3. « *Man lêrt daz süeze kindelin — Kriechisch, wälisch und latîn* » (*Mai u. Beafl.*, p. 195, 1); « *daz kint bât si dô lîren — beide welhisch und latîn* » (*Herz. E*, p. 16, 70); « *Tristan, ich horte dich doch ê — britunisch singen und gâlois, — guot latîne und franzois : — kanst dû die sprâche? herre jâ, — billîche wol.* » (*Trist.* God., 3688 sqq.) — 4. Cf. *H. I.*, 6455 sqq.

honore fuit. Non autem facile discerni potest quid de gallicis fontibus, quid de latinis Germani hauserint. Nobis tamen suspicari licet Germanos, multo magis quam doctis quibusdam vulgo videtur, Gallorum imitatores fuisse. Sic diu hic opinionis error fuit Hartmannum hujus libri qui *Gregorius* inscribitur materiam a latino poemate mutuatum esse. Nunc autem inter omnes constat illum librum e gallici poematis translatione exstitisse. Aliquando tamen quoddam poema primo germanice scriptum videtur, quod quidem ita fit propterea quod poematis illius codex primus gallice scriptus periit. Sic illud poema quod *Kaiserchronik* inscribitur, circiter annum 1135 scriptum, commentitiis rebus abundat, inter quas multæ de gallicis fontibus sumptæ sunt. Ceterum nonnulla dicta indicio sunt, eum qui illud poema composuerit litterarum gallicarum scientiam penitus habuisse; quod ut uno quodam exemplo luculento confirmemus, aliquo loco fert ille obsessos, rupto, per quem ministrarentur vinum et aqua, quodam alveo, tunc ad deditionem redactos esse, quod certo ad Arelatis obsidionem refertur [1].

Quin poematum materiam quæ *fableaux* dicuntur a Gallis acceptam esse videmus [2].

Quod autem ad carmina lyrica pertinet, in hoc quoque genere Germanos ad Gallorum exemplum nisos esse apparet. Hoc enim ita sese habere Wackernagel abhinc annos quinquagenos jam confitebatur; quod postea a quibusdam in dubium vocatum, argumentis firmis, A. Jeanroy confirmavit [3]. Ille enim ex argumentorum similitudine (p. 278 sqq.), atque omnium rerum quæ ad comitatem et ad amorem pertinent (p. 285 sqq.) et e quadam seu sententiarum seu vocabulorum communitate (p. 289 sqq.) acute concludit, poetas, quibus Germani nomen *Minnesinger* dederunt, eadem poematum materia formaque ac lyrici gallici poetæ (*trouvères* vel *troubadours*) usos esse.

In omnibus ceterum illis, quæ diximus, poematibus, in epicis præsertim, invenire est quasdam et locutiones et sententias quas nemini dubium est quin a Gallis Germani mutuati sint.

1. P. Meyer, *Rom.*, I, p. 56 sq. — 2. V. Goed. *Grdr.* [1] I, § 72, 2. — 3. A. Jeanroy : *Les origines de la poésie lyrique en France au moyen âge.*

Sic : *vair et gris — bunt unde grâ; quérir aventure — âventiure suochen; reis empereire — kuninc admirâte* (*Roll.*, 6725 N.); *cortois — hovesch; fiancier — sicherheit tuon; un chevalier de sa main — ein helet ze sînen hanten* (*Roll.*, 2940); *escrier l'enseigne — zeichen ruofen; partir le jeu — ein spiel teilen* [1]; *entrebaisier — underküssen; contreval — ze tal; fervestu — îsenwât* (*H. Er.*, 4157); *îsengwant H. Er.*, 6689); *sablon* (arena) — *sant* (*H. I.*, 5337 [2].

Cum germanicus poeta fingit virum affectibus contrariis et inter se discedentibus commoveri et interdum exponit unde nascantur, gallicos poetas imitatur (V. *Eilh.*, Lichtenst., CLXXIII, sq.) : *De ceste chose sanz dotance — L'emperere a joie et pesance — Joie a por ce que il antant — Que ses fiz a proëce antant — Et pesance de l'autre part — Por ce que de lui se départ* (*Cligés*, 169 sqq.). Cum Henricus de Morungen Narcissi fabulæ alludens dixit : « *sam ein kint daz wîzheit unversunnen — sînen schaten ersach in einem brunnen — und den minnen muose uns an sînen tôt* (*M. S. F.*, 145 : 23 sqq.), non sane ignorabat hos versus quos legimus in poemate quod *Cligés* inscribitur : « *Plus estoit biaus et avenanz — Que Narcisus qui desoz l'orme — Vit an la fontainne sa forme — Si l'ama tant, quant il la vit, — Qu'il an fu morz si com an dit. — Por tant qu'il ne la pot avoir* » (2766 sqq.). Cum Hartmannus definiendo gallicum vocabulum explicat (*Er.* 8001 sqq.), Wacii exemplo id facit : *urbs est latins, citez romans — Cestre est anglois, kaër bretanz ;* etc. (Wace, *Br.*, 1263 sqq.), item Henricus de Veldeke et alii cum verba latina vulgari linguæ miscent, Wacii vestigia insequuntur qui dixit : « *A cel tans regnoit Salomons — Qui fonda templum domini* (Wace, *Br.*, 1660 sq.)

Nec minus constat Germanos Gallorum vestigiis ingressos esse cum modum moderationemque laudant : « *Melz valt mesure que ne fait estultie* » (*Ch. de Rol.*, 1725) — « *alles dingis mâze — gezimet mannegliche* » (*Alex.*, Lampr., 4871 sq.), cum Famam inducunt personam (Wace, *Br.*, 4663 sqq. — *H. Er.*, 2515 sqq.), cum sententias quasdam quæ ad mores pertinent carminibus

1. Lachmannus hæc refert ex Joinvilla excerpta, sed eadem antiquius usurpata esse constat : « *n'est pas a droit partiz le jeuz — D'un chevalier ancontre trois* » (Chr. *Er.*, 2836). — 2. V. quoque *R. de Camb.* (3448), Jeanroy : *Origines*, etc., p. 291 sqq. et Wackern. : *Altfr. L. u. L.*, p. 198.

inserunt : « *Contre orgilleus fu orgillos — Et contre humble dols et pitos* » (Wace, *Br.*, 9253 sq.) — « *Wis den herren starc, den armen guot* » (*H. Greg.* 252).

Quod ad dicendi genus pertinet, satis sit enumerare cum rerum ad vitæ usum pertinentium, tum animi ejusque motuum habituumque descriptiones, in narrando abundantiam, ***stychomythiam*** (seu sermones alternos, in quibus colloquentes singulis vel binis versibus utuntur), crebras sententias, rationem dicendi subtilem [1], frequentem usum ***parenthesis***, ***revocationem*** (quæ fit cum duæ sententiæ continuæ sibi adversantur) [2], versus usurpationem qui dicitur *orphanus* (*waise*), quæ omnia a Gallis, apud quos prius in usu erant, postea Germani mutuati sunt. Non operæ pretium est sæpius dicere quod critici alii sæpe dictitarunt [3].

Quo ex tempore Germani Gallos imitari cœperint subtiliter exsequi, et omnia quæ ad illam imitationem pertinent, temporum ordine servato, narrare, difficillimi quidem vanique laboris esse nobis videtur. Ratio tamen temporum ita conjectura colligi potest ut a vero non omnino abhorreamus. Verba enim germanica de fontibus gallicis sumpta quæ infra enumeraturi sumus [4], non parvi sunt auxilii ad id ut temporum ordinem paulum noverimus. Nam circiter medium duodecimum seculum poemata gallica primum germanice versa sunt. Quin circiter annum 1135 Conradus ad suorum civium institutionem illud poema, quod gallice *Chanson de Roland* dicitur, vertebat. Sed jam antea profecto Gallos Germani imitati erant : in Conradi enim opere nonnulla vocabula gallica sicut *favelîe*, *vassal*, *Montjoie* insunt ; quod quidem non ita fuisset si ea vocabula legentes non intellexissent. Ceterum certo scimus ante annum 1100 ipsum vocabula *palas*, *balas*, *massenîe* in Germaniam illata esse. Jam enim antea diphthongus *ai* in illis verbis *a* sonabat, qua appellatione postea Germani usi sunt.

Præterea quædam carmina ab ultimis temporibus, quanquam

1. V. Scherer : *Gesch. d. d. Dicht. im 12. 13. Jht.*, p. 88. — 2 V. Burdach : *Reinmar und Walther*, p. 71. — 3. V. Wackern., op. cit.; Jeanroy, op. cit ; Michel : *Heinrich von Morungen und die Troubadours;* Golther, *Litt.gesch.*, p. 252 sqq. — 4. V. Index vocabulorum gallicorum quibus germanici poetæ usi sunt.

insequenti tantum ætate in ore hominum versata, germanice translata erant. Sic in *Erec* suo Hartmannus facit servum, dum equum ad aquarium ducit, quamdam *rotewange* canentem atque in *Tristan* Godfridus Isoltam *pastûrele* canentem facit : ex quo intelligitur hoc carminum genus jamdiu antea vulgatum esse.

Sed quanquam poemati quod *Rolandslied* inscribitur nonnulla gallica jam vocabula insunt, in *Alexandro* tamen quem Lamprechtus fere iisdem temporibus scripsit paulo pauciora inveniuntur; cur autem res ita se habeat me fugit. Sed in poemate quod *Kaiserchronik* inscribitur pauca gallica verba apparere propterea quod non e gallica lingua versum est intelligimus.

Adde quod *Tristan*, quem Eilhart de Oberge circiter annum 1170 scripsit, aut *Eneide*, cujus priorem partem ante annum 1174, alteram vero circiter annum 1190, Veldeke scripsit, jam vocabulis gallicis abundant. Veldeke enim, qui a Trajecto-ad-Mosam oriundus erat, cum gallico cultu expolitus esset, primus perfecit ut Germanis comitatis studium omnino accederet. Sic ille in patria lingua vocabulis *dorpelîch* et *hovesch* expressit idem quod vocabulis gallicis *courtois* et *vilain* significatur. Sic etiam ab illo magnopere humanitatis studium (apud eum *blîschaft*) commendatum est. Jam vero multa vocabula a Gallis ita sumpsit, ut in carminibus lyricis ipsis quædam adhibuerit, cum tamen omnes fere lyrici poetæ eadem vitare solerent [1].

Jam autem ab illa ætate in omnium ore vocabula gallica versabantur, et in primis iis, qui poemata de Arthuro scripta composuerunt, probabantur. Sic sua poemata Hartmannus Godfridusque illis vocabulis perfuderunt. Imo quidem Volframus eorumdem immodico usu fastidium movet. Illos autem ad imitationem multi discipuli proposuerunt. Sic Ulricus de Zatzikhoven et Wirnt de Gravenberg gallicorum vocabulorum usum pro necessario poematum ornamento ducere videntur, quantum ex indice infra scripto suspicari possumus; germanica poemata ipsa quæ *Nibelungenlied* vel *Gudrun* inscribuntur seu sermonis seu morum gallicorum imitatione abundant.

1. *Poisûn*, *M. S. F.*, 59, 1; *merlikín*, *M. S. F.*, 59, 27; (*misse*) *prís*, *M. S. F.*, 62, 15; *amís*, *M. S. F.*, 62, 16.

Constat quidem e Gallorum imitatione magna commoda Germanis exstitisse, quorum mox poemata emendato atque puro dicendi genere floruerint, quod non tam mature consecuti essent, si proprio ingenio tantum fisi essent. Ita factum est ut medio ævo litteræ germanicæ tum maxime floruerint, cum Gallorum vita cultusque summa auctoritate polluerint. Hæc tamen imitandi consuetudo paulatim adeo vitiosa et fastidiosa facta est, ut ab ea Germanos avertere quidam omni ope tentaverint. Sic *Wernher der Gartenære* et *Tannhûser* iis illudunt qui germanico sermoni vocabula gallica admisceant [1].

Itaque sensim ab illa vitiosa consuetudine ita discessum est, ut ex omnibus vocabulis quæ in germanicam linguam Godfridus, Wolframus atque alii transtulerunt, paucissima in lingua germanica recentiori manserint.

1. *Ein* riviere *ich dâ gesach — durch den* fôres *gieng ein bach — zetal übr' ein* plâniure — *ich sleich ir nâch unz ich si fant die schoenen* crêâtiure. — *bî dem* fontâne *saz diu klâre süeze von* faitiure (Tannh.).

CAPUT II

De vocabulis Gallicis in Germanicam linguam translatis.

Antequam in studium singulorum gallicorum verborum quæ in germanica poemata translata sunt incumbere instituo, quædam primo dicam ad meum propositum demonstrandum utilia. Nam mihi vocabulorum illorum gallicorum indicem facere conanti visum est, quemadmodum vocabula quædam sine dubio a Gallis accepta liceat affirmare, sic quædam alia utrum de gallicis an latinis fontibus sumpta sint dubium esse. Ergo auctoribus Frantz [1], Wackernagel [2] et Kluge [3], in illo indice nullam mentionem illorum vocabulorum feci quæ in ***althochdeutsch*** illata sunt; sic ***kamerare, kanzelaer, grîf, scepter, permint, planke, philosophie***, etc.. omisi [4]. Ex iis autem vocabulis in hoc indice ea tantum retuli quæ, seu litterarum quarumdam mutationem, seu derivationem miram præbentia, dignissima sunt quæ notentur. Nomina quoque gemmarum retuli, quorum pleraque profecto Germanis per Gallos accesserunt. Quædam autem alia prætermisi, quæ, quia gallicorum vocabulorum modo desinunt, gallica origine esse putata sunt, cum reapse a Germania sint oriunda, cujusmodi sunt ***walkieren*** et ***balzieren***, quæ refert Steiner [5].

1. *Die lat. roman. Elemente im althochd.*, 1883. — 2. *Umdeutsch. fremder Wörter* (*Kleinere Schriften*, III, p. 252-333). — 3. *Grundr. d. germ. Phil.*, I, 309 sqq. — 4 Ob hanc causam omisi vocabula *mergrieze, purper, nâtiure* a Kaindl (*Zeitschr. für rom. Phil.*, 17, 355 sqq) relata et ***becken, berle, kappe, castâne, koste, grede, lampride, pflûmie*** a Wiener (*American Journal of Philology*, 16, n° 3) citata. — 5. *Germanistische Studien*, 2, 239 sqq.

A

abestô *P.* 791, 16, abestôn *Lanz.* 4798; afr. [1] abestos-abeston — Asbestus (*Marb.*).

Bestêôn Veld, 8364, bestiôn *P.* 791, 4, eadem notione dicitur atque *abestôn*, afr. beston : « *De beston en estoit la mece* » (*Eneas* 6514).

absist *P.* 791, 19 ; afr. absictos — Apsyctus (*Marb.*), absictus (*Cang.*).

achates *P.* 791, 11 ; afr. achate — Achates (*Marb.*).

achmardî *P.* 14, 22 afr. almande? (*Wiener*, p. 332) — Panni species qui, juxta A. Schultzi opinionem, ab urbe Amardi nomen accepit (V. *A. Schultz*, I, p. 334).

admirât *Roll.* 6725, *W.* 432, 16, emeral *W.* 34, 5 ; ammiral *Floyris*, 36 ; afr. amiralz, amirant — Magistratus saracenus.

agras *P.* 238, 27 ; afr. aigret, agrat ; prov. agras ; e latina voce *acri* — Omphacium, uva acerba.

alabanda *P.* 791, 19, almatin *Herz. E.* 3031 ; afr. alabandine, alamandine — Alabandina (*Marb.*).

alûnen *P.* 75, 16 — Verbum e nomine *alun* deductum, quod *alumen* significat.

amant *God.* 16 704 ; afr. amant — Amans.

amazur *W.* 18, 1 ; afr. almaçur *Ch. de R.* 909 — Magistratus saracenus.

1. Litteræ afr. significant veterem linguam gallicam (ancien français) et vulg. lat. vulgarem linguam latinam.

ameir *God.* 11999; afr. amer — Amarum.

ameir *God.*, 11990 ; afr. amer, ameir — Amare — Godfridus scripsit *lameir* pro *l'amer*.

ameiren *God.* 12069. Verbum ex *ameir* inflexum — Amare.

âmer *W.* 62, 16; afr. ambre; vulg. lat. ambar — Aromatis species.

amesier *P.* 164, 25 afr. *amessure; vulg. lat. amessura (*Cang.*) quod videtur idem esse ac verbum *amasser*, *amacir*, id est contundere (V. Diez, *W.*, *mazza;* Maxeiner : *Beitr.*, p. 27 sq.) — Contusum.

amesiern *P.* 88, 17. Verbum ex *amesier* inflexum.

ametistus *das himml. Jer.*, ametiste *Roll.* 1561, *Herz. E.* 2622, *Eracl.* 981, *Lanz.* 4131 amatiste *P.* 589, 18, *Wig.*, 25, 40; afr. ametiste — Amethystus (*Marb.*).

amîe frequentissime usurpatur. Primum vero in *Floyris* invenitur, 76; afr. amie — Amans.

amîs frequentissime usurpatur. Primum in *Alex.* legitur, 3362 ; afr. amis — Amans.

amor *P.* 478, 30, amûr *God.* 1360; afr. amor, amur — Amor.

amûren *God.* 12069 verbum ex *amûr* inflexum — Amare.

âmûrschaft *P.* 439, 15, compositum e nomine *amûr*, cui adjungitur exitus germanicus *schaft* — Amor.

antrodrâgmâ *P.* 791, 8; afr. anthrodragme — Androdamas (*Marb.*).

arômât *W.* 451, 22; afr. aromat — Aroma.

âromâten *W.* 462, 27; afr. aromater — Condire aromatibus.

aspindei *Alex.* 6095 aspindê *P.* 490, 26. Ex voce asbestos corrupta? (V. Kinzel : *Lamprechts Alexander*, N. 6094) — Ligni genus quod semel accensum non exstingui potest.

âventiure frequentissime usurpatur. Primum vero in *Herz. E.* invenitur 3891, âvintûre *Eilh.* 5047; afr. aventure — 1°) Eventus fortuitus; 2°) Singulare duorum militum certamen.

âventiuraere *God.* 9238, verisimiliter e voce *âventiure* compositum, non ex afr. *aventurere* quod in gallica lingua posterius fictum esse videtur — Miles qui vagatur atque peregrinatur si qua præclare gerere possit.

âventiuren *P.* 249, 4 ex nomine *âventiure* inflexum.

âvoy *P.* 21, 14, *Wig.*, 200, 25; afr. avoy — Exclamationis species.

B

balax *P.* 791, 2; afr. balai, balay, vulg. lat. balascius — Gemmæ species.

baldekîn *Veld.* 12942; afr. baudequin; vulg. lat. baldakinus — « Pannus.... sic dictus quod Baldacio, seu Babylone in Perside, in occidentales provincias deferretur » (*Cang.*).

baliren *Eilh.* 6350; afr. parer? aut polir? (V. Lexer, *W.*) — Ornare.

baltenaere *God.* 15636; afr. paltonier; vulg. lat. paltonarius. E latina voce palitari inflexum (V. Diez, *W.* 388) — Erro, verbero.

baneken frequentissime usurpatur. Primum vero apparet in *Floyris;* vulg. lat. banicare; afr. banoier, esbanoier, e voce *banda* (V. Diez, *W.* 40) — Corpus voluptatis causa exercere.

banekîe *God.* 410, nomen e verbo *baneken* tractum.

banier, baniere frequentissime usurpatur. Primum legitur apud Hartmannum (*Er.*, 2321); afr. baniere, e gothica stirpe *bandi* — 1°) Vexillum; 2°) pannus hastæ affixus.

barbier *P.* 155, 7, barbel *Lanz.* 4529; afr. barbier, barber. E latino nomine *barba* — Pars cassidis quæ mentum servat.

barbigân *P.* 376, 16; afr. barbacane, barbicane; vulg. lat. barbacana, barbicana. E persica vel arabica stirpe (V. Diez, *W.* 42) — Propugnaculum exterius.

barel *P.* 622; 9; afr. baril, bareil; vulg. lat. barellus — Cadi species.

barke frequentissime usurpatur. Primum vero apparet in *Roll.* 7190; afr. barque — Navis species.

barragân *Lanz.* 4828; afr. bouracan; vulg. lat. barracanus — Pannus.

barûn *P.* 785, 7, *God.* 4050; afr. baron, barun; vulg. lat. baro — Vir nobili genere, unus ex optimatibus.

bârunîe *God.* 4163; afr. baronie — Baronum cœtus.

bastart *P.* 552, 12; afr. bastart — Spurius, nothus.

batalje *God.* 385; afr. batalie (*Alex. Meyer.*), bataille; vulg. lat. battualia, batalia — Prælium.

batêle *God.* 12532; afr. batel; vulg. lat. batellus — Scapha.

bätschelier *W.* 290, 24; afr. bacheler — Scutiger, adolescens miles.

belleze *Kaiserchr.* 366, 16, pellis *Veld.* 1702, pelz *H. Er.* 2013, pelliz *P.* 231, 5, pelz *Wig.* 23, 1; afr. pelice, peliçon; vulg. lat. pellicia — « Vestis indumentum pellibus factum » (Papias apud *Cang.*).

bestêôn V. supra abestô.

berill frequentissime usurpatur — Primum vero apparet in « *das himml. Jer.* » (perillus); afr. beril, bericle — Beryllus (*Marb.*).

birsen frequentissime usurpatur. Primum vero apparet in *Kaiserchr.* 515, 18; afr. berser, bierser — Sagittare.

birsaere *Veld.* 4727; afr. bersere; vulg. lat. bersarius — Sagittarius.

bisem *Wig.* 264, 22; afr. ?; vulg. lat. bisamum; ex hebraica voce *besem* — Aroma, unguentum.

bisending *Kaiserchr.* 510, 31, *bisant* Roll. 621, *bisant* Eracl., 702; afr. besant; vulg. lat. bysantius — Nummus aureus. Forsitan vetus forma *bisending* in *bisant* ad gallici verbi *besant* exemplar mutata sit.

blenke *Veld.* 5172, *P.* 810, 13; afr. blanc — Cerussæ species.

blialt frequentissime usurpatur. Primum apparet *Roll.* 711; afr. blialt — Panni species. Vult Francisque Michel hoc verbum ex eo quod est *pailes ployés* ductum esse. Gallis vestis est : Germanis vero panni species. A. Schultz autem, ut explicaret cur verbi notio altera alteris esset, opinatus est vestis nomen in panni nomen, ex quo effecta erat, translatum esse.

blunde *God.* 18472; afr. blont. Color capillorum flavus.

boie *P.* 56, 20, *Gudr.* 1598, 4. boye *Lanz.* 7625; afr. buie, boie; vulg. lat. boia — Genus vinculorum.

bonit *P.* 570, 3; afr. bonnet vulg. lat. boneta. Non capitis tegumentum, ut opinantur Benecke, *W.*, Lexer, *W.*, Wiener, Kassewitz, etc., sed pannus quidam pectus operiens (A. Schultz, II, p. 48). Gallis erat *bonnet* principio panni cujusdam nomen.

« *Li abati sans nule fable — Del cief son capel de bonnet* » (*Percev.*, 2128).

bovel *P.* 18, 22; afr. pueble, pueple, pople — Populus. Germana vox videtur deducta esse a *peuble*, a quo dictum est *peuple.*

brief *God.* 8143; afr. bref? — Carminis species.

brunât *H. Er.* 1895; afr. brunette; vulg. lat. bruneta — Panni species.

bukkerân *Eracl.* 4958, buckeram *P.* 588, 15; afr. boqueran — Pannus.

bukkele *Roll.* 4727, bokel *Veld.* 5784, buckel *H. Er.* 2307, *Nibl.* 585, 4, *P.* 37, 7, *Wig.* 169, 16; afr. bocle, bucle — Umbo.

puckelaere *Roll.* 2635, buckelaere, *Eilh.* 5872, buggelaere *Lanz.* 1121; afr. boucler — Scutum cui affixus est umbo.

buhurdieren primum apparet *Graf. Rud.* 6, 9 (behurdiren), sæpissime postea usurpatur; afr. behorder, bouhourder, etc.; vulg. lat. bagordare, burdeare — Hastis ludicris ex equis pugnare.

buhurt primum apparet *Kaiserchr.* 6, 27; afr. bouhourt, etc.; vulg. lat. bohordicum, buhurdicium — Hastiludii species.

burdus *Heinr. d. Glich.* 1586; afr. bordon; vulg. lat. bordonus — Baculus peregrinantium.

butiglêre *Eilh.* 6412; afr. botillier; vulg. lat. buticularius ex stirpe *botte* — Qui cellæ vinariæ præerat.

buzzel *P.* 190, 13; afr. boucel; vulg. lat. bucellus, ex stirpe *botte* — Cadi species.

C, K

calcidonie *das himml. Jer.*, calcedonie *Roll.* 1559, calcidônje *Veld.* 9483, etc.; afr. calcedonie, calcedoine — Calcedonius (*Marb.*).

calcofôn *P.* 791, 12; afr. calcofanos, calcofoine — Calcophonum (*Marb.*).

kalopeiz *W.* 32, 11, *walap. P.* 37, 23, *Wig.* 216, 38; afr. galop — Cursus incitatissimus.

kalopieren *P.* 37, 15, walopieren *H. I.* 2553, *Wig.* 62, 24, galopieren *God.* 8951; afr. galoper — Citato equo contendere.

kämbelin *W.* 196, 2; afr. camelin — Panni species.

kapûn *P.* 657, 8; afr. capon; vulg. lat. capo, capus — Castratus.

karacte *P.* 270, 24; afr. caracte — Littera.

karbunkel frequentissime usurpatur; primum vero in *Kaiserchr.* invenitur 341, 23, carbunculus *H. Er.* 7743, plerumque karfunkel; afr. escarboucle, scherbuncle, etc. — Carbunculus (*Marb.*).

cardemôm *P.* 790, 2; afr. cardamome; vulg. lat. cardomomum — Aromatum species.

karnâre *Roll.* 7580; afr. carner, charnier; vulg. lat. carnarium — Ossarium.

casagan *W.* 406, 7; afr. casaqui (*S. P.*), gasygan (*Godefroy*); vulg. lat. casaca. — Pannus lamellis munitus pectus tegentibus.

kastel primum in *Kaiserchr.* invenitur 13, 15, schastel *P.* 318, 9; afr. castel, chastel; vulg. lat. castellum. Interpretantur Galli tantummodo *castellum*, arcem, Germani vero aliquoties turrim qua utebantur propugnaculo. Sic apud Henricum a Veldeke navis, apud Wirnt a Gravenberg elephantus hujusmodi turri munitur. In Roqueforti autem glossario invenitur « *chastiaux : galeries couvertes, roulantes et flanquées de tours, lesquelles étaient faites de bois de charpente.* » Apud Joinvillam scriptum est *chat-chastel*, ex quo inferre possumus *chastel* vel *castel* eadem notione in lingua gallica atque in germanica acceptum esse.

kastelân primum apud *Veld.* invenitur 687; afr. castelois (*R. de Cambr.* 3387); destrier de castele (*Fierabr.* p. 58) — Hispanicus equus.

kateblatîn *Veld.* 12942; vulg. lat. catablatinum. Hæc vox, in gallicis poematibus non inventa, non respicitur utrum e gallica an e latina lingua deducta sit.

celidôn *P.* 791, 11; afr. chelidoine, celidoine — Chelidonium (*Marb.*).

cerâuns *P.* 791, 6; afr. ceraune — Ceraunius (*Marb.*).

ciclât *God.* 11106, *Lanz.* 8484; cyclât *Roll.* 1570, *Eilh.* 2079; sigelât *H. Er.* 1569; siglât *Wig.* 25, 33; afr. siglaton, ciclaton, etc.; vulg. lat. cyclas — Vestis et panni species.

clârêt *Herz. E.* 2389, *P.* 809, 29; afr. claret; vulg. lat. claretum — « Vinum factitium dulce vel aromatites » (*Cang.*).

kocke *P.* 55, 6, *Gudr.* 257, 1; afr. coque; vulg. lat. cogo — Navigii genus et præsertim rostrata navis.

collier *W.* 406, 12; afr. colier; vulg. lat. collare, collarium — « Armaturæ species qua scilicet collum militantis tegitur » (*Cang.*) Præterea torquis.

kolze *Herz. E.* 2329, *P.* 683, 17; afr. cauce, (calce?) : *ses*

cauces de fer a calcies (Wace *Br.* 9510); vulg. lat. calcia. In *althochdeutsch* legimus vocem *kalizja*, unde gallice *cauce* dictum est. Littera *o* autem hoc verbum ex romanis dialectis sumptum esse ostendere videtur.

comûne *W.* 113, 13; afr. comune — Commune.

condewier *P.* 401, 13. Wiener existimat masculinum nomen *conduire* exstitisse, cum inveniatur feminina forma *conduiresse* — Is qui ducit.

condewieren frequentissime usurpatur, primum vero in *H. Er.* invenitur 9868; afr. *conduire*, non *conroiier* (Cf. *por aus conduire et conroiier*, *Chr. Er.* 4295). Verisimilius tamen est gallicam vocem *conroiier*, quæ frequentius quam *conduire* invenitur, ad *condewieren* formandam valuisse — Conducere.

teilieren *God.* 2975. Aut e gallico verbo *taillier* aut e germanico *teil* (pars) hoc verbum tractum est.

temperie *P.* 643, 23, ex verbo *tempern* inflexum — Temperatio.

tempern primum apud *Eilh.* 2298 invenitur; afr. temprer — Temperare.

templeis *P.* 444, 23; afr. templois — Templarius vel frater Militiæ Templi.

teppit primum apud *Veld.* 11648 apparet, sæpe teppich, teppech

scribitur; afr. tapis, prov. tapit. Voces *teppich, teppech* e *tapis* inflexæ sunt, mutata in *h* aspiratam littera *s* ut in *foreht*, e *forest* — Tapetum.

terbentîne *Veld.* 8319, zerbenzîne *P.* 789, 26, zerbenzerî *W.* 451, 21; afr. terebinthe, terebentine; vulg. lat. terbentina — Aromatis species.

terrâz *Athis u. Pr.* E 20; afr. terrace; vulg. lat. terratia — Solarium.

terre *P.* 685, 22; afr. terre — Regio.

topazius primum in *das himml. Jer.* apparet sæpissime topâzje scriptum; afr. topace — Topazius (*Marb.*).

topel *Eracl.* 2613, *P.* 115, 19; afr. doublet — Talarius ludus. Vocabulum *topel* aliquando per translationem dicitur.

topeln *P.* 248, 11; afr. dobler — Tesseras jacere. Hoc verbo per translationem Wolframus utitur.

torment *Veld.* 187; afr. torment — Tormentum.

treif *W.* 197, 10; afr. tref, treif, tré — Tabernaculum.

treimunt *W.* 9, 2; afr. dromon; vulg. lat. dromo — Navis bellica.

tremuntâne *P.* 715, 17; afr. tresmontaine; vulg. lat. tramontana — Polus.

treviers *P.* 812, 12; afr. trevers, travers — Aggressio a latere in torneamento (Cf. Niedner : *Das deutsche Turnier*, 45 sqq.).

trippânierse *P.* 341, 23; afr. trupendiere? — Meretrix.

trisor *God.* 4481; afr. tresor — Thesaurus.

triste *God.* 1997; afr. triste — Tristis.

tropel *P.* 68, 26; afr. tròpel — Munus.

trumbe primum in *Roll.* 286 invenitur; afr. trompe — Tuba.

trunzûn primum apud *Veld.* cod. B 7365 apparet; afr. trunçun, tronçon — Fragmentum.

tubieren *W.* 155, 3; afr. adouber — Adornare, munire.

tumbrel *W.* 373, 2; afr. tomberel, tombereau — Carri species.

turkopel *P.* 351, 12; afr. turcople; vulg. lat. turcopulus — Sagittarius.

turkoys *P.* 741, 6; afr. turquois — Aerizusa.

turnei primum apud *Veld.* 938 invenitur (tornei); afr. tornei, tornoi; vulg. lat. torneamentum — Vox *turnei* fere valet id quod armorum lusum Latini appellabant.

turneisch *Lanz.* 638. Adjectivum e nomine *turnei* deductum.

turnieren primum in *H. I.* 2803 invenitur; afr. tornoier, torneier, etc.; vulg. lat. torneare, torneamentare — Hastiludio decertare.

ussier *P.* 596, 10; afr. ussier, huissier; vulg. lat. usserius, huisserium — Hippagus, navis qua equi transvehuntur.

V, F

faile *P.* 301, 28; afr. veile — Velum.

failieren *P.* 738, 28; faylieren *Lanz.* 3002; afr. faillir — Errare.

val *Roll.* 7042, vâls *Lanz.* 4086; afr. val — Vallis.

valet *Lanz.* 4969; afr. varlet, valet — Armiger.

vârîs *Veld.* 5097, *Gr. Rud.* 8, 6; afr. (au)ferrant; vulg. lat. farisea, farius. Vox germanica *vâris* declarare videtur exstitisse, antequam *auferrant* in usu fuerit, formam quamdam gallicam verbo hispanico *alfaraz* propiorem, et vulgari latinæ voci *farisea* proximam.

fasân *P.* 287, 1; afr. faisan — Phasianus.

(meer)feine *Lanz.* 180, feie *P.* 56, 18; afr. faée; vulg. lat. fata.

feiten *P.* 45, 21, feitieren *P.* 18, 4; afr. (a)feitier — Adornare.

feitiure *God.* 4577 e verbo *feiten* inflexum.

fenis *P.* 469, 8; afr. fenis — Phœnix.

ferrân *Lanz.* 4844, ferrans *Nibl.* 576, 3; afr. ferrandine — Panni species.

vesîn *W.* 163, 16; afr. vesin, veisin — Vicinus.

vespereide *H. Er.* 2453, *Lanz.* 2855; vesperie *P.* 68, 24; afr. vesprée. « *Vêpres d'un tournoi, joute faite la veille d'un tournoi pour s'y essayer* » (*S. P.*). Exitum *eide* pro *ie* invenimus in *galeide* ex *galie.* Dubium est an *vespereide* a Germanis ficta sit, sed verisimile est *galeide* (pro *galide*) e gallica voce *galiete* vel e *galie* exiisse (Cf. *vide* pro *vie*, *honide* pro *honie*, *departide* pro *departie*, *Ch. de Rol.*, G. Paris 746 sqq.).

fianze *P.* 38, 6, *Wig.* 200, 38; afr. fiance; vulg. lat. fidantia — Fiducia, jusjurandum.

fier *Graf Rud.* 25, 25, *P.* 21, 11, *God.* 6493; afr. fier — Superbus.

figieren *God.* 4624; afr. fichier. Ex eo quod gallice dicitur *fixer*, id est litteris mandare « mettre par écrit » (*S. P.*), potius quam ex *fichier* originem ducere videtur verbum *figieren*, cui existimo litteris mandandi notionem potius quam attingendi (sic enim id verbum Bechstein et Lexer interpretantur) subjiciendam esse.

figiure *God.* 6651; afr. figure — Figura.

vilân *Eracl.* 1559, *P.* 74, 13; afr. vilain; vulg. lat. villanus.

vinæger *P.* 555, 21; afr. vinaigre — Acetum.

vintâle *Lanz.* 4533, vinteile *Lanz.* 1385, vintâl *P.* 44, 4, fantaille *Athis u. Pr.* B. 52; afr. ventaille, ventale — Ventaculum « galeæ pars qua ventus hauritur, seu respiratur. » (*Cang.*)

vintûse *W.* 322, 23; afr. ventouse — Cucurbitula.

violâte *God.* 11125; afr. violet; vulg. lat. violatus — Violaceus.

fischieren *Lanz.* 5802, *P.* 168, 17; afr. fichier, afichier? In glossariis gallicis verbo *ficher* non est subjecta fibulandi sententia, quæ germanicæ voci propria est. Sed legimus *afiche* (fibula) apud gallicos poetas (Cf. Bartsch : *altfr. R. u. P.* 132, 86). Præterea Cangius scripsit : « *firula*, fibula quæ ad firmandum pallium infigitur. » Ex quo suspicari licet *ficher* idem valuisse atque fibulare.

fisike *P.* 481, 15; afr. fisique, fisike — Ars medicinæ.

fisiôn *P.* 453, 25; afr. fisicien? — Medicus.

viztuom *Kaiserchr.* 375, 8, *Herz. E.* 713; afr. visdame, vidame (visdamesse apud *S. P.* invenimus) sed verisimiliter, ut demonstrat diphtongus *uo*, e vocabulo latino *vicedominus* ortum est *viztuom*.

flamme *Roll.* 7897; afr. flambe, flamme — Vexillum.

floite *Nibl.* 808, 2, *Wig.* 47, 4; afr. flahute, flaute, fleüte, etc. — Tibia.

vloiten *Gud.* 49, 2, floitieren *P.* 63, 8; afr. flahuter, etc. — Tibiam inflare.

floitieren *God.* 10924; afr. flot, flotter? E Godfridi versibus non intelligere licet quæ sit hujus vocis notio (V. Bechstein et Benecke, *W.*).

floitierre *P.* 19, 11; afr. flahutere, etc. — Tibicen.

flôren *Lanz.* 646, *W.* 195, 4, flôrieren *P.* 341, 3. Existimo *flôren* non e gallico verbo *floreter*, sed e nomine *flor* inflexum esse; nam e verbo *floreter* forma *floretieren* orta esset.

flôrî *P.* 53, 125, flôrîe *God.* 17389. Mihi videtur Wiener (343, N. 2) in Wolframi versu (*P.* 531, 25) interpretando errare, cum existimat *flôrî* adjectivi locum tenere. *Flôrî* autem est substantivum e voce *florie* tractum, quæ e *flor* corrupta est.

flôrîs *W.* 146, 19, 301, 1; afr. flori. Existimo contra quam sentit Wiener vocabulum *flôris* eadem sententia acceptum esse atque gallicum *floris*, quod barba incana virum designat.

flôrsen *W.* 373, 13; afr. florison? — Ornatus.

flûrs *P.* 508, 21; afr. flur — 1° Flos; 2° quod est optimum.

folate *God.* 8078. Incertum est unde vocabulum *folate* oriatur, quod carminis speciem significat.

fole *P.* 91, 16; afr. fol.; vulg. lat. follis, follus — Stultus.

fontanie *Floyris* 23, fontâne *P.* 753, 23, funtânje *God.* 16742; afr. fontaine — Fons.

forest *P.* 27, 29, foreist *P.* 176, 4, foreht *P.* 548, 4, *Lanz.* 672, foreis *Wig.* 9, 38; afr. forest, forez; vulg. lat. foresta — Silva.

forstaere *P.* 592, 10, vorehtier *Lanz.* 732; afr. forestier; vulg. lat. forestarius — Qui silvas curat.

fossiure *God.* 16704; afr. fosseure, fossure; vulg. lat. fossura — Fossa.

franzen *God.* 10909; afr. franger — Fimbrias deducere.

franzois *Lanz.* 5804, *Wig.* 211, 34, franzoys *P.* 312, 21, franzeis *P.* 329, 13. Notandum est Conradum nondum hanc vocem, sed formam *Franke* usurpavisse. Ineunte tertiodecimo seculo videtur *franzois* primum in usu fuisse.

fritschâl *Eilh.* 8235 *Wig.* 40, 35; vulg. lat. fritsalum. Pannus cujus nomen in gallica lingua quidem non invenitur, sed verisimiliter Gallis non deerat.

furke *God.* 2935; afr. fourche, fourque; vulg. lat. forca — Furca.

furkîe *God.* 2936; afr. forchie, forkie — Alligatio ad furcam jecoris et pulmonis feræ, antequam exta canibus projicerentur.

furrieren *P.* 168, 10 *Wig.* 23; afr. fourrer — Pellibus induere.

W

wambasch *Lanz.* 3811; afr. gambais, wambais; vulg. lat. gambasium, wambasium — Vestimentum coactile loricæ subjectum.

weifier *Lanz.* 4441; afr. guipure? Dubium est quæ sit hujus vocis notio.

wîle *H. Er.* 1091; afr. vile, ville; vulg. lat. villa — Villa.

Z

zendâl *H. Er.* 377, *God.* 662, cindal *Veld.* 7366, *Gr. Rud.* 2, 13, cindât *Alex.* 6530, zindâl *P.* 19, 1 ; afr. cendal, cendé, etc. ; vulg. lat. cendalum, cendatum. Latina vox *cendatum* formæ *cindât*, quam apud Lamprechtum legimus, rationem reddere potest — Panni species.

zimbel *Lanz.* 3899, cymbel (*die ält. Jud.*, Diem. 117, 21); afr. cimbale; vulg. lat. cymbalum.

zimere *God.* 2942 ; afr. seymier, cymier, cimere. Bechstein declarat se inscium esse quæ sit vocabulo *zimere* subjecta notio, quod non ita fieret si ei noti fuissent loci plures qui vocis *zimere* sententiam illustrant. E quibus paucos referre satis sit : « *et après faut lever le cymier* (*du cerf abattu*) *depuis le commencement des costez et de longueur jusques au bout de la queuë.... — Les nombles cuisses et cymier appartiennent au roy.* » (Fouilloux, *Vénerie*, apud *S. P.*) Præterea in poemate quod *Perceval* inscribitur legimus *l'escimere* (18717), quæ forma corrupta est et verisimiliter in *le cimere* emendanda.

zimierde *P.* 164, 21 ; afr. cimier ; vulg. lat. cimeria. Plerumque gallica vox *cimier* impositam summæ galeæ figuram significat. Notandum est, autem germanici vocabuli notionem fuisse ornatum, et verbum *zimieren*, cum primum in germanicam linguam migratum sit, ornare, non summæ galeæ apicem imponere, significavisse. Inde ambigitur, nonne vox gallica principio, cum galeæ, tum equi et equitatis ornatum designaverit.

zimieren primum in *H. Er.* 735 apparet, e *cimier* inflexum — Adornare.

zingel *P.* 376, 11 ; afr. cengle, cingle ; vulg. lat. cingulum — Munitiones.

zinober *H. Er.* 2295 ; afr. cinabre ; vulg. lat. cinabrium, cinnabar — Cinnabaris.

CAPUT III

De mutationibus quæ gallica verba in germanicam linguam translata affecta sunt.

I. — DE VOCALIBUS

a = ei : ***haster***, ***heistieren***. — Littera *a* videtur nobis a Wolframo sine ulla ratione certa in *ei* mutata fuisse.

a = ä, e : ***bachelier***, ***bätschelier***; ***tarcois***, ***tärkis***; ***tamarie***, ***tämris***; ***travers***, ***treviers***; ***cimbale***, ***zimbel***; ***cardamome***, ***cardemôm***; ***camelin***, ***kämblin***. — Quod ad vocem *bätschelier* pertinet, notandum est in quibusdam gallicis dialectis, litteram *a*, quoties inciderit ante sonum *j* vel *ch*, in litteram *e*, mutatam fuisse (Meyer-Lübke, *Gr.*, I, § 232). Propterea quod *i* in verborum *tärkis*, *tämris*, *treviers*, *kämbelin* exitu est, littera *ä* in prima syllaba locum litteræ *a* habere videtur, quod quidem Germani *umlaut* nomine appellant.

ai = ei : *saie*, *sei*; *saitie*, *seitiez*; *faitiure-feiture*, *feitiure*; *gambais-gambeis*, *gambeis*; *aise*, *eise*; *contrefait*, *conterfeit*. — Ex eo quod Germani pro gallico sono *ai* litteras *ei* scripserunt, inducere licet quædam vocabula, in quibus diphthongus *ai* inveniatur, in germanicam linguam importata fuisse per duodecimum seculum, cum hæc diphthongus nondum apud Gallos quasi monophthongus *ai* pronuntiaretur (V. *Grundr. der rom. Phil.*, I, 582). Cum autem sonus diphthongi *ai* in germanica lingua sono *ei* similis auditu esset, qui enuntiabatur tanquam *i* adderetur litteræ *e* (*e* + *i*) (V. Braune : *ahd. Gr.*, § 44) et in veteribus Germanorum poematibus *ai* scribebatur (V. Weinhold : *mhd. Gr.*, § 123), gallica diphthongus a Germanis litteris *ei* scripta fuit. Ceterum gallicam diphthongum *ai* Germanis sonuisse ut si quis

primum litteram *e*, deinde litteram *i*, pronuntiavisset, constat ex eo quod in extrema versuum parte invenimus vocabula *sein*, *conterfeit*, *eise* — *sein*, *breit*, *weise*, quæ inter se consonant.

N. — In gallicis scriptis sunt quædam inter hæc vocabula, quæ modo formam *ai*, modo formam *ei* (sic *faiture*, *feiture*) præbent.

ai(ll) = a, ei, e : 1) *bataille*, *batalje* — 2) *ventaille*, *vintdle* — 3) *Ventaille*, *vinteile*; *taillier*, *teilieren*; *maille*, *meile* — 4) *Batail-lier*, *patelierre*. — Germanis deerat sonus quem Galli *mouillé* dicunt; itaque diversis modis eum reddere nisi sunt. Nostra igitur refert qua via ad id propositum efficiendum usi sint disquirere.

1) Pro *aille* scripserunt *alje*, quæ vox exstitit e propinquitate vocabuli quod in vulgari latina lingua *batalia* dicitur, quo nullus inter gallicos sonos germanico sono propior est.

2) Vox *vintdle* oriri potuit ex gallica voce **ventalle*, aut formari ad exemplar nominis *batalle*, quod in veteribus Gallorum poematibus invenimus (V. *Alex.*, Meyer).

3) Cum simul forma *eille* et forma *aille* apud Gallos inveniantur (Förster : *Cligés*, LXVII, Meyer-Lübke : *Gr.*, I, § 232), cumque præterea in hac Galliarum parte quæ ad Orientem spectet sonus *eil* emittatur eodem modo ac *e*, cui additur sonus quem cognomine *mouillé* significant, Germanici poetæ nimirum hac soni emittendi ratione usi sunt.

4) Denique Germanorum *el* invenitur gallici soni *aill* loco, qui intra quoddam temporis spatium pronuntiabatur ut *el*. Invenimus enim in poemate quod *Chanson de Roland* inscribitur verbum *ventaille* referens eumdem sonum atque verba *Burdele*, *furcheles*, *sele*, etc. (v. 1289 sqq.), quæ quidem omnia in extrema versuum parte collocantur et, ut vulgo dicitur, inter se assonant.

ai = ae, e : *vinaigre*, *vinaeger*; *glaive*, *glaevin*; **sorçaingle*, *surzengel*. — Germani Gallorum sonum *ai*, similem scilicet litteræ *e* apertæ (V. Diez : *Gr.*, I, § 399), sono *ae*, *e* reddere contenderunt, qui quidem in germanicam linguam metaphonia litteræ *a* inductus fuit.

ai = a : *maisnie, massenie ; grainne, grân ; tresmontaine, tremuntâne; vilain, villân ; compainz, kumpân ; montaigne, muntâne; fontaine-fontanie, funtânje ; balai, balax ; palais, palas; wambais, wambasch ; plaine, plân.* — Ex hac gallicarum litterarum *ai* pronuntiandarum ratione in Germania quasi *a* scriberentur facile inferri potest, quædam inter hæc verba, quorum ad exemplum cetera pronuntiata fuerunt, a Gallis remoto tempore Germanos mutuatos esse. Constat enim gallicam diphthongum *ai* ante duodecimum seculum pronuntiatam fuisse perinde quasi accentus incideret in *a*, cujus sonus prævalere solebat (*S. Alexis :* G. Paris 37 sqq.). Sic ætate nostra audimus adhuc *a* pro *ai* sonare in nonnullis Lotharingicorum dialectis, apud quos *harnas* pro *harnais*, *mâjon* pro *maison*, etc., dicuntur (Cf. Horning : *Ostfr. Dial.*, § 28).

N. — Ex variis codicum lectionibus *wambeis, wambois, wambeis, wambis*, apparet hanc vocem vicinitate gallici sermonis rursus mutatam fuisse.

a = o : *cinabre, zinober.* — Cum littera *a* servetur in vocabulis quæ Germani e gallico sermone assumpserunt, mirandum forsan esset, quod littera *a* in locum litteræ *o* adhibita fuerit, nisi animadverteremus vocabulum *zinober* pro vocabulo *sinople* habitum fuisse (V. *Lanz.*, 4421 et N., *H. Er.*, 2293 et N.).

au = e : *aucube, ekub.* — Inter omnes poetas solus Wolframus hac voce utitur, quam certum est eum tanquam *ekub* pronuntiavisse, ut satis ex variis codicum lectionibus patet. Verisimile est formam *ekub* e gallica forma *acube* ortam esse, quam apud quosdam gallicos poetas invenimus, itaque non syllabam *au* sed litteram *a* litteræ *e* locum obtinuisse affirmare possumus.

au, ahu, eu = oi, oy : *flaute* (*flahute, flaüte*), *floite* (*floyte*). — Germanis deerat diphthongus *au*. Ex hoc autem manifestum est syllabam *au* in vocabulo *flaute,* vel *eu* in *fleute* diphthongum fuisse, quod aliquoties pro formis *flaute, fleute* scribitur forma *flahute* (V. Bartsch : *Afr. R. u. P.*, 287, 7 ; 126, 7, etc.), quæ postquam pridem adhibita fuit, in formam *au,* vel *eu* delapsa

est. Quod ad diphthongum *oi* pertinet, pronuntiabatur non secus ac si post litteram *o* pronuntiatam statim sonum *i* vel *u* emittas (V. Weinh. : *mhd. Gr.*, § 69).

e = a : *violet*, *violate; rosée*, *rosât; brunete*, *brunât; rondet*, *rondât; soldée, soldât; perdris*, *pardriz; carner*, *carnâre.* — Secundum Bartschii opinionem (*Roll.*, 3923), quod litteræ *ât* in exitu verborum collocatæ sunt in loco litterarum *et*, id ex una inter formandi rationes quæ *mitteldeutsch* vocantur initium cepisse videtur. Constat autem exitum *ât* in *mitteldeutsch* ad nomina actionis significanda destinatum fuisse, quod non fit in verbis *violat*, *rosât*, etc. Ceterum jam antea Wackernagel arbitratus est (*Altd. Pred.*, 301) exitum *ât* e linguis quæ *romanes* dicuntur ortum esse, in quibus littera *a* litteram *e* æquiparavit in media ætate et adhuc æquiparat (Kass., p. 78). Nonne hæc mutatio facilius explanaretur, si nobis concederetur litteras *ât* sine ulla intermissione e litteris *at* aut *ad*, quæ apparent in vulgari latina lingua, ortas esse (cf. *soldada*, *violatus*, *rosatus*)? Quod ad verbum *pardriz* pertinet, animadvertere oportet adhuc in nostra ætate, in quibusdam Lotharingiæ partibus, gallicum verbum *perdrix* quasi *pardrix* pronuntiari, quod eodem modo fit in verbo *perron* quod pronuntiatur *pârron*, etc. (V. Horning : *ostfr. Dial.*, p. 22).

ei = ai : *veile*, *faile.* — Schuchardt notavit (*Vok.*, I, 466) diphthongum *ei* primum in *ai* versam fuisse, deinde in *oi;* sic forsan factum est, ut in germanica lingua legamus *faile* scriptum pro *veile.* Præterea, in ea parte Galliæ quæ ad Orientem spectat, inter plures mutationes quæ afficiunt syllabam *ei*, mutatio syllabæ *ei* in *ai* notatur (Meyer-Lübke : *Gr.*, I, § 76), quod forsitan altera causa est cur Wolframus *faile* pro *veile* scripserit [1].

e = ei : *l'amer*, *l'ameir ; amer*, *ameir ; mer*, *meir ; moralité*, *moraliteit ; ostez*, *ohteis ; forez*, *foreis ; sauge*, *salvei ; fée*, *feie.* — Cum in gallica lingua *ameir* pro *amer* inveniamus (V. Bartsch : *Altfr. R. u. P.*, 117, 44), cumque præterea diphthongus *ei* pro lit-

1. Apparent in quibusdam codicibus formæ vale, val.

tera *e* in septentrionali et orientali Galliarum parte adhibita fuerit, non mirandum est Godfridum hanc formam admisisse, qua inductus est ut uteretur forma *meir* (mari) pro forma *mer*, unde verborum ambiguitas quam sibi proposuerat efficitur [1].

Littera *e* clausa qua vocabula *moralité*, *ostez*, etc., desinunt, in germanica lingua sonuit *ei*, quod ita in orientali Galliarum parte sonuerat, quem quidem sonum adhuc in Lotharingia et circa Vesontionem audimus (*outaïe* pro *ôtez*, *parlaïe* pro *parlez*, etc.).

e = i : *berser-bierser*, *birsen*; *bonnet*, *bonît*; *calcedoine*, *calcidônje*; *corneol*, *corniol*; *javelot*, *gabilôt*; *gemme*, *gimme*; *genet*, *géuît*; *merle*, *merlîn*; *present*, *prisânt*; *tresor*, *trisor*; *duchesse*, *ducisse*; *escler*, *eskelîr*; *hamede*, *hamît*; *bresil*, *prisîn*; *ventaille*, *vintâle*; *ventouse*, *vintûse*; *aventure*, *âvintiure*. — Littera *e* in his vocabulis iisdem vicibus obnoxia atque sæpe peculiaris Germanorum littera *ë* in *i* mutata est [2]. Jam latina verba (ut exemplis utar : *census*, *zins*; *mentha*, *minze*; *thesaurus*, *trise*), dum in linguam *althochdeutsch* transducebantur, eadem mutatione affecta erant atque Gallorum verba quæ Germani mutuati sunt.

eill = igl : *botillier*, *butiglére*. — Utrum proveniat verbum *butiglére* e latino *buticularius* an e gallico *botillier* incertum est. Nescio an exstiterit in gallica lingua forma **botiglier*, e verbo *buticularius* orta, quemadmodum constat verba *aiglent*, *marreglier* ex verbis **aculentum*, *matricularium* orta esse.

e = u : *rassener*, *rasûnen*. — Hæc mutatio ad nullam certam legem pertinet, sed ex libidine Woframi effecta est.

eor, eur = ur, iure : *l'empereor*, *lampriure*; *josteor*, *tjostiure*; (*en*)*chanteor*, *schantiure*; *poigneor*, *punjûr*. — Syllabæ *eor*, *eur*, quæ in exitu gallicorum verborum sunt, aut primum pronuntiatæ fuerant quasi diphthongus *oir* (quæ evasit ex littera *o* cui littera

1. « L'ameir daz waere minnen, — l'ameir bitter, la meir mer » (*Tristan*, v. 11998 sq.). — 2. V. Weinh. : *mhd. Gr.*, § 97.

i tanquam *parasita* addita est) aut quasi *ur* aut quasi *our* (V. Wilmotte, *Rom.*, XVII, 559). In quibusdam Galliarum regionibus, e sono *oi* nati sunt soni *oui, ui, u*, quorum unus Germanorum pronuntiandi rationem *ure* peperit, nisi forte eam pristina forma *oi* genuerit (V. Maxeiner : *Beitr.*, 57). Secundum Maxeiner, fieri potest ut exitus *iure* in germanicis vocabulis, quæ cum gallicis vocabulis desinentibus in *eor*, *eur* consonant, a Wolframo *öü* pronuntiatus fuerit (p. 61). Kassevitz, ut contendat in verbis supra relatis sonum *iu* apparuisse, in hoc nititur quod vocabulum *punjûr* cum *sûr* consonat. Illud animadvertendum est, verbum *lampriure* cum verbo *âventiure* consonuisse (*W.* 91, 28) et cum germanicum verbum *âventiure* quasi *âventüre* pronuntiaretur, nobis igitur admittere licet hæc verba non una et eadem ratione pronuntiata fuisse.

(e)ure = iure : *aventure*, *âventiure ; faiture, faïtiure ; coverture, covertiure ; fossure, fossiure ; quassure, quaschiure*, etc. — Syllaba *-ure*, quæ in exitu verborum scribitur et ex latinis formis *-atura* et *-itura* oritur, pridem formam *ëure* accepit, quæ, postquam tres syllabas obtulerat, ex quadam litterarum contractione ad duas syllabas tantummodo redacta est, præsertim in dialectis quæ in orientali et septentrionali Galliarum parte vigent. His adde quod apud Gallos in hoc vocabulorum exitu littera *u* sonum litteræ *u*, ut in nostra ætate pronuntiatur, præstitit (V. *murmure : alëure, Cligés*, 5663-4). Usque ad extremum duodecimi seculi exitum, littera gallica *u* apud Germanos idem ac *ou* valuit. Sic consonat *natûre* cum verbo *sûre* (*Lampr. Alex.*), *Artûs* cum verbo *hûs* (*H. Er.*). Tum in his formis sonus *iu* apparet, dum tamen sonus pristinus *û*, in his quidem verbis, quæ e latina lingua derivantur, permanere videtur. Sic fit ut *natûre* et *natiure*, *créatûre* et *créatiure* eodem tempore inveniantur. Cuncta verba de quibus locuti sumus in *mittelhochdeutsch* sonum *u* (*ü*) (V Diez., *Gr.*, I, 396 sq.; Maxeiner : *Beitr.*, § 15) et *u* vel *ü* in *mitteldeutsch* (V. Maxeiner : *Beitr.*, § 20) reddiderunt. Suffectusne sit germanicus sonus *i*, in verbis quorum exitus *iure* præbet, in loco gallici soni *e*, in verbis quorum exitus *eure* præbet, incertum est, quod quidem Kassewitz contendit. Quod ad nos pertinet, cum apud

Germanos ad litteram *ü* exprimendam sonus *iu* valeret (V. Weinh., *mhd. Gr.*, § 119, 129), nonne satius esse videtur admittere, Germanos Gallorum litteram *u* (*ü*) sono *iu* effinxisse, qui tantum quantum Gallorum littera *u* valebat. Jam enim in quibusdam latinis codicibus, qui intra quartum et decimum seculum scripti sunt, litteræ *u* sæpius substituebantur *iu* vel *ui* (V. Maxeiner : *Beitr.*, 17), quæ apud Alamanos haud semel *ü* scribuntur, sic *Nuirtingen : Nürtingen ; Stuiszelingen : Stüzelingen* (Kauffm. : *Gesch. d. schw. Mund.*, p. 85) ; *fiur : für* (Kauffm. : *op. c.*, p. 86).

em, en = am, an : *semblance*, *semblanz ; serpent*, *serpant ; rotruenge*, *rotruwange ; ventaille*, *fantaille ; l'empereur*, *lampriure*, etc. — Kassewitz quidem verba citra relata in duas partes impertit, quarum altera continens verba, in quibus litteræ *en* integræ permanent, ex sermone qui in septentrionali Galliarum parte adhibetur, altera autem continens verba, in quibus litteræ *en* in litteras *an* translatæ sunt, ex sermone orientalis Galliarum partis incolarum provenire illi videtur. Sed in hujus sententiam nobis non eundum esse videtur. Nam, quamvis in antiquis codicibus, qui in Normannia et in Picardia conditi fuerunt, hæc litteræ manifeste distinguerentur, constat nihilominus jam per duodecimum seculum alteram alterius locum sumpsisse. Sic fit ut *jant* pro verbo *gent* scribatur (Cf. præterea *S. Alexis :* G. Paris p. 36 sq.). Verba autem germanica in quibus litteræ *en* apparent non ante exitum duodecimi seculi inveniuntur. Itaque hæc duplex scribendi ratio libidini cujusque poetæ obnoxia esse videtur.

i = a : *jacinthe*, *jâchant*. — In veterrimis Germanorum codicibus littera *i*, quæ erat in latina forma, permansit (V. *jacingtus : Das himml. Jer.*). Littera autem *a*, quam in germanicis codicibus postea invenimus, provenit ex Gallorum sono *un* aut *on*, qui locum latini *in* obtinuit. Legimus enim *jacunce* (*Ch. de Rol.*, 638), *jagunce* (Pannier : *Lap.* p. 46), *jargonce* (*Alex.*, Meyer, p. 98), *jagonce* (*Chr. Er.*, 1612), etc.

er = en : *coupler*, *kuppeln ; hurter*, *hurten ; mener*, *menen ;*

pruever, *prüeven; danser*, *tanzen; priser*, *prisen; temprer*, *tempern; dobler*, *topeln*, *etc.* — Multa Germanorum verba, quorum infinitiva forma litteris *en* scribitur, ex Gallorum verbis, quorum infinitiva forma litteris *er* scribitur, derivantur. Plura adhuc in Germanorum lingua exstant, sic *prüfen*, *birsen*, *tanzen*, etc.

(i)er = ieren, en : 1° *bohorder*, *buhurdieren; conreer*, *cunrieren; corder*, *cordieren; crier*, *kriieren; haster*, *heistieren; joster*, *justieren; (es)leissier*, *leisieren;* etc. — 2° *hurter*, *hurtieren-hurten; (a) faitier*, *feitieren-feiten; penser*, *pansieren-pansen; flauter*, *vloitieren-vloiten; florer?*, *flôrieren-flôren.* — Operæ pretium esse visum est inquirere cur inter infinitivas formas, quæ apud Gallos sono *er* desinunt, quædam apud Germanos sonum *en* acceperint, quædam autem sonum *-ieren* induerint. Kassewitz (p. 67 sq.) autem existimat germanica verba, quorum exitus est *-ieren*, ex gallicis verbis, quorum exitus est *-ir*, provenisse, similique modo verba sonum *-ier* aut *-er* præbentia tractata esse. Ceterum hanc opinionem id quidem confirmare possit, quod apud Lotharingicos quædam verba ejusdem speciei eodem modo, id est *-ir*, pronuntiantur (V. *charrier : charrîr; nettoyer : nettîr; herser : hersîr;* etc.). Quod ad germanica verba in *-en* desinentia pertinet, Kassewitz hanc formam ex *nominibus* derivat unde *verba* orta sunt, dum *verba* in *-ieren* desinentia ex *verbis* provenire arbitratur. Quod parum compertum videtur. Notavit enim Wiener (p. 329 sq.) quædam germanica *verba* reperta esse juxta *nomina* unde extrahi potuerunt, prætereaque *verba* utramque formam præstare (V. supra *hurtieren-hurten*, etc.), quod infirmam Kassewitzi opinionem efficit.

Wiener aliam explicandi rationem refert. Existimat enim e gallica lingua extracta *nomina* germani sermonis in *-ier*, *-iur*, *-iure* desinentia, quæ cuncta iisdem sonis pronuntiabantur, sonis *-iur*, *-iure* mutatis in sonum *-ier*, infinitivæ formæ exitum genuisse [1]. Hanc assertionem parum verisimilem existimabimus,

1. « There are two very common sources of noun derivations which German poets affect : the ending in *ier*, *iur*, corresponding to OF *ier eor eür*, for *nomen agentis*, and *iure*, corresponding to OF *ure*, for *nomen actionis*, and both are strangely confused in the minds of the scribes.... This confusion is

siquidem animadvertemus *nomina agentis* desinentia in ***iure, ure, ier*** raro juxta *verba* desinentia in *-ieren* inveniri, aut, si quæ appareant, ea posterius formata fuisse. Scilicet ***buhurdieren*** e nomine ****buhurdier*** derivatum fuisse plane concedendum esset. At ***buhurdier*** non invenitur, sed forma ficta tantummodo est. Item ex nomine *punjûr* verbum *punieren* nasci potuisset, sed ***punjûr*** quibusdam annis postea solum apparet. Quæ eadem dici possent de verbo *krîieren*, etc. Præterea *nomina actionis* desinentia in *iure*, quæ ex *verbis* in *-ieren* exeuntibus oriri videntur, eadem verba ætate non præcesserunt. Quædam autem inter hæc vocabula priorem formam præbuerunt juxta quam forma *-ieren* invenitur, quæ rursus nomina in *-ier* desinentia peperisse videtur. Sic tres formæ plerumque exstant : *puneiz*, ***punieren, punier; kunreiz***, ***kunrieren***, ***kunrier; juste, justieren***, ***justiure***, quarum ultimæ ***punier, kunrier***, ***justiure*** post alteras *punieren*, etc., apparent. His adde quod formæ infinitivæ in *-ieren* jam remota ætate apparuerunt, priusquam nomina in *-iure* desinentia in germanicam linguam perfluxerint. Sic Henricus de Veldeke jam quibusdam germanicis verbis formam alienigenam *-ieren* addit, ex quo constat hanc formam jam ante duodecimum seculum exiens pervulgatam et quodam studio usitatam fuisse. Satius igitur existimandum est, verba germanica in *-ieren* desinentia ex gallicis verbis in *-ir* vel *ier* desinentibus exiisse, præsertim cum verba germanica qualia *wieren*, *zieren*, *vieren*, etc., transitum faciliorem effecerint.

(i)er = aere, êre : ***boucler***, ***buckelaere; botillier***, ***butiglére; marnier***, ***marnaere; soldeier***, ***soldenaere; forestier, forestaere; paltenier***, ***paltenaere; portier***, *portenaere*, etc. — Sonus *-er* aut sonus *-ier* in germanicis nominibus soni *aere*, vel soni *êre* formam dedit. Sic plerumque *nomina agentis* effecta sunt. Notemus aliquoties his in verbis litteram *n* insertam fuisse. Testibus : ***soldenaere***, ***portenaere***.

the more natural, since the German itself offered the interchange in verbs with *iu* (*biute*, *bieten*). There is but a step from *ier*, *iur* to the infinitive *ieren* and its generalization as an infinitive-forming suffix » (p. 330).

er = ier : *bacheler*, *betschelier*. — Mirum est formam *-er*, quæ est in extrema parte gallici verbi *bacheler*, quod quidem postea formam *bachelier* accepit (Bartsch et Horning : *La langue et la litt. fr.*, p. 10), apud Germanos jam formam *ier* præbuisse.

(e)i = e : *baril-bareil*, *barel*. Quomodo forma germanica *barel* e gallica forma *bareil* exiverit facilius explicabitur, si animadvertemus in media ætate formam *ei* cum forma *e* in versuum exitu consonuisse (V. Diez, *Gr.*, I, p. 400).

i = u : *buisine, pusûn*. — Apud Germanos invenitur vox *busîne* juxta vocem *busûn*, cujus forma duplici modo explicari potest : 1° sæpius apud Germanos littera *i* ante litteram *n* posita, tanquam obscura facta, in sonum *u* conversa est (V. *bevinden : berunden M. S. F.*, 52 : 21-24); 2° verbum *pusûn* in germanicum sermonem pervenit per circuitum dialecti quæ *mittelniederdeutsch* dicitur in qua *u* pro *i* apparet (V. Lübben : *mnd. Gr.*, §§ 12, 13).

o = u : *joste, juste; amor, amur; bocle, bukkel; pastorele, pasturêle; tabor, tabur; sorciere, surziere; capon, kapûn; tronçon, trunzûn, pavillon, pavilûn; garçon, garzûn; rondet, runddt, roncin, runzît*, etc. — Galli, ut hæc verba scriberent, modo littera *o* modo littera *u* jam utebantur. Sic eodem tempore formas *amor*, *amur*, *tabor*, *tabur*, etc., invenimus. Sonus, quem his litteris effingebant, inter sonum *o* et sonum *u* exprimebat mediam vocem, quæ tamen sono *ou* propior erat (V. : *S. Alexis* : G. Paris, p. 61 sqq.). Hæc pronuntiandi ratio in dialectis quas septentrionalis et orientalis Galliæ incolæ loquuntur adhuc superest, in quibus signis *o*, *u*, *ou* exprimitur sonus cujus tenor inter *o* et *ou* medius est (V. Maxeiner: *Beitr.*, p. 56). Wallones sine ullo discrimine *on* et *un* scribunt (V. Wilm., *Rom.*, XVII, p. 560). Sive verba supra citata tantummodo ex auditu tradita fuerint, seu scriptorum inspectione cognita fuerint, contendere igitur non dubitamus cuncta hæc sonum *u* (*ou*) in germanica lingua ex necessitate accepisse. Ex hoc autem quorumdam verborum mutatio facilior fuit, quod apud Germanos *o*, cum præponitur litteræ *i* quæ in exitu verborum apparet aut

litteræ ***m*** vel ***n*** quam consonans sequitur, sonum ***ou*** induere solebat.

Parum cum vero congruere videtur hæc Weinholdi opinio, qua contendit litteram ***o*** præpositam litteræ ***r*** in Gallorum verbis, quæ Germani sumpserunt, semper sonum ***ou*** exhibuisse (V. Weinh. : *mhd. Gr.*, § 110). Inveniuntur enim formæ ***store*** ex ***estor***, ***trisor*** ex ***tresor***, etc., oriundæ.

o = e : *parler*, *parelieren*, *parlieren*. — Cum in verbo germanico, quod e verbo gallico *parler* extractum est, accentus in littera ***i*** incumbat, littera, quæ antecedenti syllaba continetur, aut extenuatur aut omnino cadit. Sic postea verbum ***commendeur*** quasi ***cumtiur*** pronuntiatum est.

oi = o : *calcofoine*, *calcofôn; sardoine*, *sardônje; cortosie*, ***curtôsie***. — *Calcofôn* et *sardônje* litteram ***o*** quæ in latina forma exsistebat servaverunt. Quod ad verbum *curtôsie* pertinet, compertum est apud Wallones ***oi*** in sonum ***o*** debilitari (V. Wilmotte, ***Rom.***, XVII, p. 537).

oi = u : *poigneur*, *punjûr*. — Sonus ***oi*** (o + y), in quo littera ***o*** plus valebat, nihil aliud erat nisi diphthongus quam Galli cognomine *décroissante* appellant. Verbum enim *puign* (poign) in iisdem carminum strophis (*laisses*) atque *turnent*, *dulce*, etc., apparet (V. Bartsch et Horning, op. c., p. 22). In quibusdam lotharingicis dialectis sonus *ou* pro sono *oi* quoque invenitur : sic audimus ***pougne*** pro *poing*, *sougni* pro *soigner*, etc.

oie, eie = i : *soldoiement*, *soldiment; soldoier-soldeier*, *soldier; tarcois*, *tärkis*. — Cum Germani modo sono ***ei***, modo sono ***oi***, in gallicis operibus occurrerent, modo pristinam Gallorum formam ***ei***, modo recentiorem formam *oi* (*oy*), effinxerunt. Sic fit ut apud Wolframum nunc *franzeis*, nunc autem *franzoys* inveniatur. Notandum est litteram *i* in loco diphthongorum *oi* vel *ei* substitisse, in quibus sine dubio concedendum est litteram ***i*** prævaluisse. Quod probabilius efficietur, si animadvertemus verbum *tärkis* in quibusdam codicibus scriptam formam *terkeis* præbuisse.

ue = o : *pueple, borel; recuerrer, erkorern.* — Cum forma *pruerer* in formam *prueren* mutata sit, mirum forsan videbitur cur forma *pueple* in formam *borel* mutata fuerit. Notare præterea licet in germanico verbo accentum non eumdem locum observasse : *puéple, bórel.*

u = ew : *conduire, condewieren; rotuange, rotewange.* — Ut supra compertum est, ex littera *v* in gallico vocabulo *conroier* exstitit verisimiliter littera *w* in verbo germanico *condewieren.* Quod ad vocabulum *rotewange* pertinet, ex gallico vocabulo *rotuange* oritur, quod est altera corruptaque forma vocabuli *rotruange.* Littera *w* in verbo *rotewange* excludit hiatum, qui conjunctione litterarum *e* et *a* effici potuisset, ut in germanico verbo *klawe,* quod verbo *klaue* substituitur.

Aliquoties invenimus *salwieren* pro *saluieren* scriptum.

ui = u : *buisin, pusûn.* — Sonus *u* plus valebat quam sonus *i* in gallica diphthongo *ui* (u + y), quæ cum *ü* concinebat. Nobis igitur tantummodo notandum est *u* (*ou*) in germanica lingua locum gallicæ litteræ *u* (*ü*) cepisse.

II. — DE CONSONANTIBUS

b = p, p = b : *buisine, pusûn; bataillier, patelierre; pelice, belleze; pueple, borel,* etc. — Sonus *p* in lingua quæ *oberdeutsch* dicitur sonum præbet qui tantum distat a littera forti *p* quantum a littera leni *b.* Ex quo fit ut sæpe inter se hæ litteræ mutentur in germanicis vocabulis, ideoque idem factum est in gallicis vocabulis quæ in germanicam linguam pervaserunt (V. Weinh. : *Bair. Gr.,* § 121, *mhd. Gr.,* § 159, Kauffmann : *Gesch. der schwäb. Mund.,* § 171); littera *b* tamen potissimum eligitur et plerumque in scriptis apparet.

c(i) = ch : *jacinthe, jachânt.* — Hoc vocabulum ex latina lingua extractum fuit, cum Germanis tunc littera *z* non esset. Sin aliter evenisset, littera *c* in *z* conversa fuisset (V. Wackern. : *Umdeutsch.,* p. 268).

c(i), c(e), ç = z, zz : *cimier*, *zimier; cengle*, *zingel; cimbale*, *zimbel; cinobre*, *zinober; contenance*, *contenanze; lance*, *lanze; semblance*, *semblanz; merci*, *merzi; garçon*, *garzûn; tronçon*, *trunzûn; boucel*, *buzzel*, etc. — In pristina Gallorum lingua sonus *c* cum, in initio verborum, litteris *e* vel *i* præponeretur, sonum *ts* usque ad tertiumdecimum seculum præbebat. His adde quod Germani litteram *c* in initio verborum positam scribebant litteræ *z* loco, cum hæc litteris *e* vel *i* præponeretur (V. Weinh. : *mhd. Gr.*, § 203). Eodem modo *z* litteræ *c* locum obtinuit, ut ex verbo *cymbel* apparet, quod postea scripserunt *zimbel*. Ægre igitur concedendum est quod Kassewitz (p. 89) asserit, sonum germanicum *z*, qui sonum *ts* æquiparat, quidquam præstare posse ad discernendum quomodo Gallorum littera *c* pronuntiata fuerit. Certum autem videtur Germanos, cum litteræ alienigenæ *c* occurrerent, quæ in vernacula lingua *z* pronuntiabatur, eamdem per litteram *z*, quam sæpius littera *c* adhibebant, effinxisse. Hanc autem notationem illud adjuvit, quod apud Germanos nulla exsistebat littera ad effingendam gallicam litteram *ç*, quæ in verbis *garçon*, *tronçon*, etc., apparet, quorum unum *garçon* mature in germanicam linguam pervenit.

ch = sch, tsch : *chevalier*, *schevalier-tschevalier; chance*, *schanze; bachelier*, *betschelier*, etc. — Inter sonos qui ex latino *c* orti sunt, soni *sch* et *tsch* apud Gallos separatim exstiterunt. Verisimile est Germanos utrumque sonum audivisse et adhibuisse. Sic simul apparent *schevalier* et *tschevalier* (Cf. apud Britannos *challenge*, *chamber*, etc.).

ch = sc, z : *chevalier*, *scievalier*, *zevalier*. — Sonus *c* tantummodo scriptura a sono *sch* differt. Hæc pristina forma tunc per tertiumdecimum seculum apparet (Weinh. *mhd. Gr.*, §§ 206, 210). *z* in lingua quæ *mitteldeutsch* dicitur sonum *sc* æquiparat.

c = g : *culter*, *golter; barbacane*, *barbigân; calandre*, *gâlander; camaïeu*, *gamân; coife*, *goufe; cogol*. *gugel; croupiere*, *gropiere*, etc. — Cur Gallorum littera *c* apud Germanos in verborum initio *g* facta fuerit, illud explicat quod ab undecimo circiter seculo lit-

tera *g* in lingua quæ *oberdeutsch* dicitur litteræ *k* in germanicis verbis sedem excepit (V. Weinh. : *mhd. Gr.*, §§ 220, 222). Ea ratione affecta sunt externa verba, quorum in initio littera *c* in *g* conversa est [1].

